B. N. C
FIRENZE
1011
5

XV
BARTOL
1670

1011. 5

AVSPICALIS
TRIVM
Methodi Demonſtratiuæ
ANATOMICAE
PRÆCOGNITORVM
PRAELECTIO.
E' BONONIENSI SVBSELLIO ANATOMICO
HABITA
A' Fabritio Bartoleto Medico, & Philoſopho Anatomico,

Publicam Anatomen Legente, Controuerſante, Adminiſtrante.

AD AVGVSTISSIMVM PRINCIPEM
IVLIVM SABELLVM
ÇARDIN. AMPLISSIMVM.

BONONIÆ, Typis Sebaſtiani Bonomij. 1620.
Superiorum Permiſſu.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

AVGVSTISSIMO PRINCIPI

IVLIO SABELLO

CARDINALI ILLVSTRISS.

ET REVERENDISSIMO.

Fabritius Bartoletus Medicus, & Philoſophus Bononienſis. S. P. D.

HANC Auſpicalem Anatomiæ prælectiunculam feliciſsimis celſitudinis tuæ auſpicijs dico, & ſacro, Illuſtriſsime Princeps, quæ ſicuti mearum lucubrationum Anatomicarum eſt principium; ita in tui Patrocinij principium debebat confugere, quoniam Tu Anatomica pompa diſſecandum cadauer humanum publicæ conceſsiſti vtilitati, ideo illius Prælectio tuæ debebatur humanitati; quam ſi protectione animaueris, etiam cadauer viuere omnes admirabuntur. Pium ſanè fuit, ac iuſtum, vt Tu, qui populares errores EVELLIS, populari Medicorum ſtudio virtutis metam proponeres. Quandò tantum abeſt, vt impium, iniuſtumq́; ſit, pro conſeruanda rectorum hominum uita, ſceleſtis hominibus vitam adimere, & ex iuſtitiæ patibulo in Medicorum Theatrum humana corpora transferre, vt ſumma pietas, ſummaq́; iuſti-

tia à prudentiſsimis viris iure merito habeatur: Quinimmo Sacri Pontifices id olim tanti fecere, vt cogente neceſsitate etiam è monialium ſepulchris cadauera extrahere, Adoleſcentibus, Patauij medica ſtudia colentibus, veniam dederint: Et Magnus ille Carolus Quintus diuino illi Veſalio non ſolum ſuſpenſos, capite truncatos, & aqua ſuffocatos, verum etiam homines viuos, morti obnoxios, Anatomicè adminiſtrandos tradiderit. Tu quoque iuſtus, pius, magnus, ſacer nihil minus Bononienſiũ tuorum, & aliorum incolumitati conſulens, ſatis petitioni noſtræ hac in re prompto, hilariquè vultu facere, dignatus es. Vale Princeps inclyte, & Te nobis diutiſsimè incolumen ſerua.

AVSPICALIS
TRIVM
METHODI DEMONSTRATIVÆ
ANATOMICAE
PRÆCOGNTORVM
PRÆLECTIO.

Fabritij Bartoleti Medici, & Philoſophi Bononien.
Bononiæ Anatomiam legentis, & oſtendentis.

SOLENT Anatomes Profeſſores, antequam cadauer humanum Anatomica pompa publicè adminiſtrent, ab ipſius hominis laudibus præfari. Patres excellentiſſimi, & vos quot quot adeſtis Auditores omni virtutum genere ornatiſſimi, & ipſe tantorum virorum veſtigijs inhærens, ab hominis præſtantia dicendi exordium ſumam. Præexcellenti ingenio, ac virtute viri, aranei architecturam perpendentes, mira proportione eam animatæ hominis ſtructuræ aſſimilant: Hi non vt vulgus textiles phrigionum picturas, ſed viua humani corporis indumenta ſuſpiciunt: Hi exiguo machinatoris illius annulo Phœtonta quattuor inuectum equis ad viuum exprimenti, vel hominis cuticulam anteponunt: Hi Barbari, barbarè minimè quidem

dine meã breuiter perficiam; cuius propterea tres erunt termini, propoſiti ab Ariſtotele, primo poſt. *ſubiectum, principium*, & *paſſio*; Si enim apparuerit, q & quid ſubiectum anatomes; quod principium, & qualis paſſio; omnia neceſſaria ad vnguem erunt conſpicuè terminata; exordiar igitur à ſubiecto anatomes, quoniam ab hoc germinabit principium, & pullulabit paſſio.

Proponitur dict. dorũ methodus.

DE SVBIECTO ANATOMES.

CVM ſubiectum ſit duplex, totale, & partiale; dicam prius de totali: quod cum ſit duplex, materiale, & formale; dicam prius de materiali.

De materiali ſubiecto totali anatomes Capiuacceus cap. 2. circa finem, & Gauaſſetius capite 6. qui re vera in expoſitione talis opinionis longè Capiuacceum ſuperat; exiſtimant, Corpus humanum, vt materiale ſubiectum totale conſideratum, ab anatomico Medico conſiderari, vt *unum numero inſtrumentum valdè compoſitum*: quod probant; Primò, quia, ſicut vnum inſtrumentum magis compoſitum fit ex alio minus compoſito; ità ex omnibus inſtrumentis valdè compoſitis poteſt fieri vnum maximè inſtrumentum compoſitum, quod eſt ipſum corpus humanum: Secundò, quia datur vna totius corporis actio, ergo & vnum numero inſtrumentum.

Opinio Capouacca, & Gauaſſetij de ſubiecto totali materiali Anatom.

Sed pace ipſorum dixerim, hanc eorum opinionem rei veritati non conſentire; Corpus enim humanum in ratione inſtrumenti, vnum totale inſtrumentum dici nõ poteſt, quoniã inſtrumẽtum materialiter acceptum debet eſſe alicuius inſtrumentum, quomodo muſculus digiti, digitus pedis, pes totius cruris, totum verò crus

7. Con recipitur.

cor-

corporis inſtrumentum eſſe dicitur: totum autem Corpus conſtat quidam ex inſtrumentis, ſed ipſum non eſt inſtrumentum, alioquin eſſet in ordine ad aliud corpus, quod implicat, ſed Corpus eſt in ordine ad animam; quare Corpus humanum inſtrumentum vnum formaliter vtique dici poteſt, ſed non materialiter, vt hic cum Gauaſſetio, & Capiuacceo accipitur. Eorum rationes non ſoluuntur, quia nimis in longum protraheretur lectio. Quamobrem de ſubiecto totali materialiter accepto ipſius anatomes ſtatuo, eſſe corpus humanum; non vt vnum numero inſtrumentum, ſed vt compoſitum quoddam, non quatenus compoſitum, ſed quatenus *ſimpliciter eſt reſolubile in ſuas partes*.

Capouacceo, & Gauaſſetij opinio de ſubiecto totali formali Anatomes.

Poſt ſubiectum totale materiale, ſequitur ſubiectum totale formale: de quo Capiuacceus, & Gauaſſetius, ſicut exiſtimant, ſubiectum totale, materialiter acceptum, eſſe corpus humanum, vt vnum numero maximè compoſitum inſtrumentum; ità cenſent, rationem huius ſubiecti formalem, per quam ſubiectum anatomes differt à quocunque alio, eſſe *motum artificioſum voluntarium*, vt eſt texere, digladiari, & ſimiles alij motus corporis totius artificioſi: propter quem motum ſubiectum Anatomici à Phiſici, & moralis ſubiecto diſcriminatur, & à quocunque alio animantium corpore; & ob quem ſolum ſolus homo ſui finem aſſequi poteſt, iuſtitiam ſcilicet, & fœlicitatem: & comprobant hunc motum artificioſum, ex Galeno, primo de vſu par. cap. 3. & 4. & 3. de vſ. par. 3, & 14. de v. p. 6. ſcribente, inter alia animantia hominem tantum ſedere, & ſtare, eiq; ſolum manum donatam eſſe, vt duce ratione motum edat artificioſum.

Porrò cenſendum reor, rationem formalem Corporis humani, vt ſubiectum anatomici, non fundari in

hoc

hoc motu artificioſo:& ratio eſt, quoniã illa debet eſſe ratio formalis corporis humani, vt ſubiectum anatomes, qua non ſolum corpus humanum diſtinguatur à quocunque corpore, & ſubiecto, ſed ità corpus humanum cadat ſub conſideratione anatomici, vt ſit in ordine ad Medicum, à cuius tamen ſubiecti ratione diſtinguatur: ſed motus hic artificioſus eſt quidem ratio formalis, qua corpus humanum diſtinguitur ſimpliciter à quocunque alio Corpore, & à quocunque alio ſubiecto; ſed non eſt talis, vt per eam Corpus humanum cadat ſub conſideratione Anatomici, vt in ordine ad Medicum, à cuius tamen ſubiecti ratione pręcisè diſtinguatur; ergo motus ille artificioſus non eſt præciſa ratio formalis corporis humani, vt ſubiectum anatomes. Maior eſt vera, Corpus enim humanum ab anatomico Medico conſideratur in ordine ad medicinam. Minor eſt clara, corpus enim humanum, vt in ſuis actionibus artificioſum, nullum includit ordinem ad Medicum, ſed potius ad Moralem, vt ipſo inuito, concludit Capiuacceus in illo argumento probante, per motum artificioſum, hominem aſſequi iuſtitiam, & fœlicitatem, quæ ad Moralem, & non ad Medicum attinent. Sed inſtabit ille, cum motus artificioſus non ſit ratio formalis huius ſubiecti, vnde erit petenda? Dico, rationem formalem ſubiecti anatomici debere ſumi à *fine externo* ipſius anatomes, vt eſt pars Phyſiologiæ: non quidem ab interno, quoniã finis internus, ex eodem Gauaſſetio, & Capiuacceo, cap. quarto; *Eſt cognitio naturæ membri*; in cognitione autem naturæ membri, corpus humanum, vt ſubiectum anatomes, non diſtinguitur à cæterorum corporibus; quare, ſi cognoſcatur finis externus anatomes, cognoſcetur etiam ratio formalis ſubiecti anatomici,

Nõ recipitur.

Quæ formalis ratio ſubiecti totalis anatomes.

Ordo Medici ad Anatomicũ quotuplex.

qua diſtinguitur ab alijs: Cum ergo dictum ſit, corpus humanum conſiderari ab Anatomico in ordine ad Medicum, ideo in ordine hoc anatomici ad Medicum fundatur hic finis externus, à quo ſpecificatur corpus humanum, vt ſubiectum anatomici Medici; vnde explicãdum, quomodo anatomicus reſpiciat medicum, & Medicus Anatomicum: Capiuacceus loco cit. ait, hunc ordinem eſſe, vt medicus, tanquam anatomicus, præcognoſcens membri naturam, ab ea poſſit *indicationem vitalem* elicere: ſed præter huncordinem, eſt & alius interior, ſcilicet, vt medicus, ex præcognitione conſtitutionis partium naturalis, quatenus anatomicus, poſſit *naturam morborum demonſtrare*, ex præcognitione enim conſtitutionis ſimilaris, vt anatomicus, morbum in intemperie demonſtrat, vt Medicus: ſicut ex præcognitione conſtitutionis organicæ, morbum in mala compoſitione demonſtrat: & non ſolum ex anatomica præcognitione conſtitutionis partium naturalis, morborum eſſentiam demonſtrat, vt Medicus, ſed ex eadem, morborum etiam *exiſtentiam* cognoſcit, vt ideo anatome ad locorum affectorum cognitionem conducat; Quamobrem anatomico Medicus ſubordinatur, tam in cognitione eſſentiæ, quam exiſtentiæ morborum, & hic eſt *finis externus*, à quo ratio formalis corporis humani, vt ſubiectum anatomici Medici, deſſumitur: quomodo clarum eſt, corpus anatomicum diſtingui à quocunque alio, non ſolum ſubiecto, ſed etiam corpore; Si enim anatomicus, corpus, vel caninum, vel ſimiæ diſſecet, membrorum canis naturam non perpendit in ordine ad partem medicinæ pathologicam, neque ad illius indicationem vitalem.

Sit ergo determinatum, corpus humanum eſſe ſubiectum

biectum anatomes, materialiter quidem acceptum, non vt vnum numero inſtrumẽtum,ſed vt vnum compoſitum,quatenus eſt in plures partes reſolubile. Formaliter vero acceptum, non vt motum edit artificioſum, ſed vt eſt in ordine ad Medicum,tam in ratione eſſentiæ,ac exiſtentiæ morbi, quam in ratione vitalis indicationis. Hæc de totali ſubiecto.

De ſubiecto partiali.

Poſt totale, ſequitur partiale ſubiectum, quod nil aliud eſt, quam partes ipſum totum integrantes: quæ partes ſunt in triplici differentia: Partes lato modo ſumptæ: Partes ſimilares: & Partes diſſimilares.

Quid pars lato modo.

Pars lato modo ſumpta, Primo de vſu par. 1. eſt corpus, quod vndequaque circumſcriptionem non habet propriam, & vndequaque coniunctum non eſt alijs: cuius definitionis ſenſus eſt, pars eſt *Corpus, quod vndequaq; circumſcriptionem nõ habet propriam,* quoniã, prẹter propriam conformationem,circumſcribitur etiã ab aliena circumſcriptione, alioquin non eſſet pars: *& vndequaque non eſt alijs coniunctum,* ideſt, continuum, ſed contiguum, vt cuticula, quæ præter propriã conformationem, circumſcribitur etiam à cute, & non eſt cuti continua, ſed contigua, alioquin cuticula non eſſet cuticula, quod implicat. Hẹc ergo eſt partis definitio lata, quæ & viuentibus, & non viuentibus competit.

Quid pars ſimilaris viuens.

Pars autem ſimilaris eſt corpus, cuius pars ſeorſim accepta vniuocatur cum toto, actionis gratia. Genus eſt *corpus*. Differentia eſt duplex: Prima conſtituit ſimilarem in eſſe ſimilaris, & eſt, quando dicitur, *cuius pars ſeorſim vniuocatur cum toto*, vt portio oſſis, quæ vniuocatur cum toto oſſe: qua ratione et iam pars excrementitia poteſt dici ſimilaris, vt cuticula, cuius pars eſt cuticula. Secunda vero differentia conſtituit

ſimilarem in eſſe viuentis, & eſt *actio*, omnis enim pars ſimilaris agens eſt viuens.

Enim vero non ſufficit ſcire, quid ſit pars ſimilaris viuens, quia oportet etiam ſcire, quotuplex ſit: Similaris igitur eſt duplex, *pręciſa*, vt cryſtallinus in oculo; & *communis*, quæ plures conſtituit; interim non præciſas, ſed communes intelligo, quæ ſunt tantum decem; *Os, cartilago, ligamentum, membrana, fibra, arteria, vena, caro, tendo, & cutis*: differunt autem hæ partes ſecundum maiorem, & minorem ſimilaritatem: nam quædam ſunt ſimilares ratione *ſubſtantiæ*; quædam ſunt ſimilares ratione *ſimilaris*: & quædam ſunt ſimilares ratione *identitatis*.

Quot partes communes ſimilares.

Quæ ſunt ſimilares ratione ſubſtantiæ, ſunt, quæ immediatè ex ſemine fiunt, & ſunt, *os, cartilago, fibra, cutis*; hæ enim ità ex ſeminis ſubſtantia immediatè fiunt, vt ex nulla ſimilari fiant.

Similares ratione ſubſtãtiæ.

Quæ ſunt ſimilares ratione ſimilaris, ſunt, quæ ex vna tantum ſimilari realiter conſtant; & cum non conſtent ex pluribus, ideo ſunt ſimilares, non quidem in prima, ſed ſecunda notione, & ſunt, *ligamentum, membrana, arteria, vena, caro*; hæ enim conſtant ex fibris tantum; ideo ſunt ſimilares, ratione ſimilaris.

Similares ratione ſimilaris.

Quæ tandem ſunt ſimilares ratione identitatis, illæ ſunt, quæ quidem conſtant ex pluribus ſpecie diſtinctis, ſed ità ſimul à facultate alteratrice vniuntur, vt ex ijs fiat vna pars identica, vt *tendo*, qui quidem conſtat ex neruo, & ligamento, ideo nec eſt ſimilaris ratione ſubſtantiæ, nec ratione vnius ſimilaris, ſed eſt ſimilaris ratione identitatis, quia neruus, & ligamentum fiunt vnum, & idem. Hoc igitur eſt ſubiectum partiale ſimilare.

Similares ratione identatis.

Pars tandem diſſimilaris eſt organum: cuius ratio

quid-

quidditatiua, neque eſt ſimpliciter *edere actionem perfectam*, vt exiſtimauit Faloppius, neque eſt *ratio inſtantanea*, ut Mercatus, ſed eſt *compoſitio plurium partium determinatarum*, vt rectè Capiuacceus, ita quòd duæ ſint conditiones organi; Prima in primo modo per ſe, & eſt compoſitio plurium partium determinatarum; Secunda eſt in ſecundo modo per ſe, & eſt edere actionem perfectam, quæ actio perfecta, neque *originaliter* debetur alicui ſimilari, & *perfectiuè* toti organo, vt Capiuacceus, neque ſimilari, vt *figurata*, vt Mercatus, ſed *per ſe primo, & adæquatè*, ipſi toti organo. Organi tandem cauſſa effectiua non eſt *propria generatrix* eo modo, quo ponit Capiuacceus, ſed eſt *propria conformatrix*, vnde ſic definiendum eſt, organum eſt membrum genitũ ex determinatis partibus à propria conformatrice gratia actionis perfectæ. Cuius organi ſpecies ſunt tantùm quattuor, & non quinque, vt Gauaſſetius. Primum organum fit ex pluribus ſimilaribus, vt muſculus. Secundum organum fit ex primis inſtrumentis. Tertium ex ſecundis. Quartum ex tertijs, vt ex ſe patet. Et hæc de ſubiecto anatomes diſſimilari; Quocirca patet primum propoſitorum, ſubiectum ſcilicet anatomes.

Quid pars diſſimilaris.

Cauſſa organi q.

DE

POST ſubiectum ſequitur principium: quod principium non eſt niſi ſubiecti *natura*, natura enim eſt principium ex Ariſtotele 2. phyſ. 2. hinc videndum quid ſit hæc natura ſubiecti anatomici, & quotuplex.

Gauaſſetius dimi nutus circa naturam.

Gauaſſetius exiſtimat, naturam eſſe duplicem *temperaturam*, & *vnitatem*. Capiuacceus enumerat quattuor, *ſubſtantiam, temperaturam, conſequentia*, & *accidentia*. Gauaſſetio, tanquam diminuto, interim prætermiſſo, ad Capiuacceum intellectum conuertamus, & cum eo videamus, quid pro his quattuor ſit intelligendum.

Quid pro ſubſtātia intelligēdum.

Quoad ſubſtantiam, dicit Capiuacceus, ſe pro ſubſtantia intelligere *propriam, & communem ſubſtantiā*: in qua reſponſione duę committuntur petitiones principij; prima quidem, quia quæritur de ſubſtantia, quę eſt partis natura, reſpōdet per ſubſtantiam propriam, quod eſt reſpondere idem de eodem, quando enim partis natura dicitur ab eo ſubſtantia, vt quando oſſis natura dicitur oſſis ſubſtantia, talis intelligitur ſubſtātia, quæ ita eſt propria oſſis, vt non carnis; ideoq; quādo quæritur, quid ſit hæc ſubſtantia, vt oſſis ſubſtantia, non debet reſponderi, eſſe propriam ſubſtantiam, quia idem eſſet, ac ſi in terminis diceretur propria partis ſubſtantia eſt propria partis ſubſtantia, vt ſubſtantia oſſis, eſt oſſis ſubſtātia. Pręter hanc nugationem, aliam committit Capiuaceus, cum ſubſtātiam communem, vt re à propria diſtinctam proponat; etenim clarum eſt, triplicem illam ſubſtantiam eſſe propriam, dicique tantum communem, prout pluribus partibus, vel *con-*

tinuis, vel *diſcretis*, vel *ſpecie diuerſis* ineſt; Quare dicendum ad mentem Galeni, naturam eſſe partis ſubſtantiam, & hanc ſubſtantiam eſſe ſubſtantiam compoſitam ex materia elementari, & *forma partiali* talis mixtę partis, vt ſimilis non reperiatur, verbi gratia, natura oſſis, aſſumpta pro ſubſtantia, nil aliud eſt, quam ſubſtantia mixta ex tali forma partiali: & hoc modo clarum eſt, non comitti nugationem, dum pro ſubſtãtia non reſpondetur per propriam ſubſtantiam, ſed per formam partialem ſic mixtam.

Poſt ſubſtantiam ſequitur *temperies*; quę, quomodo ſit natura non declaratur à Capiuacceo. Gauaſſetius dixit, temperiem eſſe naturam, vt *forma*. quod tamen eſt falſum, nam forma eſt ipſa partis ſubſtantia, quę eſt à temperie diuerſa; ideo temperies cum fluat à forma partiali, fluit, non vt accidens proprium, ſed vt *differentia*; cum enim differentia ſit illa, qua mediante forma producit accidens proprium; & temperies ſit illa, qua mediante forma partis producit accidentia propria; ideo temperies eſt cẽſenda differentia partis ſpecifica, vt ideo propria oſſis differentia ſpecifica ſit ipſa oſſis temperies: quæ differentia, cum ex Porphirio cap. de differentia non ſit ſubſtantia, ſed *de ratione ſubſtantiæ*; ideo temperies non eſt natura, vt ſubſtantia partis, ſed eſt natura, vt de ratione ſubſtantiæ. Hęc de temperie.

Quomodo temperies ſit natura.

Poſt temperiem ſequuntur *conſequentia*: circa quæ maximè lapſum fuiſſe Capiuacceum liquidò patebit. Putauit vir clariſſimus, quæ ſequuntur temperiem, vt *organum alteratricis*, eſſe *ſimpliciter conſequentia*, & nullo modo accidentia, & eſſe *odorem*, *ſaporem*, *colorem*, *duritiem*, *mollitiem*.

Lapſus Capouacca circa conſequẽtia.

Quæ verò ſequuntur temperiem, vt *organum formatricis*,

matricis, exiſtimauit eſſe poſſe, & *conſequentia*, & *accidentia*, conſequentia, vt conſequuntur temperiem: accidentia, vt ſunt opera formatricis, & eſſe *grauitatem, leuitatem, craſſitudinem, tenuitatem, aſperitatem, lenitatem, denſitatem, & raritatem.*

Quæ vero non ſequuntur temperiem, ſed abſolutè formatricem, vult eſſe abſolutè accidentia, & eſſe *conformationem, magnitudinem, numerum, & ſitum.*

Veruntamen, hanc diuiſionem eorum, quæ conſequuntur, & quæ accidunt abſurdam eſſe patebit, ſi rationem aſſignemus, propter quam, quæ ſequũtur temperiem, commune organum formatricis, & alteratricis, itá ſequantur temperiem, vt organum alteratricis, & non formatricis, & propter quam, quæ ſequuntur formatricem, itá ſequantur formatricem, vt eius organum, temperiem, non ſequantur. Sic enim poſtea patebit, an dentur media.

Cõſequẽtia temperiẽ quæ. Quæ igitur ſequuntur temperiem, vt organum ſolius alteratricis, ſunt *qualitates circa ſubſtantiam*, quæ ideo ſimpliciter conſequentia dicuntur, & nunquam accidentia: hæ autem qualitates non omnes enumerantur á Capiuacceo, pręter.n. odorem, ſaporem, colorem, duritiem, & mollitiem, ſunt quoque *craſſitudo*, & *tenuitas*, quæ ſunt manifeſtæ qualitates circa ſubſtantiam; ideo inter ſimpliciter conſequentia ſunt enumerandæ.

Cõſequẽtia formatricem. Quæ ſequuntur formatricem, & non temperiem, ſunt *quantitates*, vel *qualitates circa quantitates*; hæ enim, quanquam ſequantur formatricem per mediam temperiem, tamen non ſequuntur temperiem, ſed abſolutè formatricem, non enim ſunt qualitates circa ſubſtantiam; ideo ſimpliciter accidentia dicuntur.

Quantitates vero ſunt, non tantum *ſuperficies, magnitudo,*

gnitudo, numerus, & ſitus, quæ enumerantur à Capiuacceo, ſed etiam ſunt, *aſperitas, lenitas, denſitas, & raritas*, quoniam ſunt quantitates ex Ariſt. de qualit. tex. 58. quamobrem, & hę inter ſimpliciter accidentia enumerari debent, & non inter ea, quæ media ſunt inter ea, quæ conſequuntur, & inter ea, quæ accidunt, ſicuti Capiuacceus.

Qualitates autem in quantitate, quæ ſimpliciter formatricem ſequuntur, ſunt *figura, meatus, cauitates*, quæ ſunt qualitates de quarta ſpecie, hæc igitur omnia ſimpliciter accidunt, & quantitates, & qualitates in quantitate, quia nil ſequitur temperiem, niſi ſit qualitas circa ſubſtantiam.

Præter autem hæc, non nego, dari quaſdam medias qualitates, quæ & conſequentia, & accidentia dici poſſunt; ſed ſunt tãtum *duæ*, & nõ *octo*, vt ponit Capiuacc. *grauitas* ſcilicet, & *leuitas*: hæ enim, vt ſequuntur denſitatem, raritatem, & cauitatem, ſunt accidentia ſecundaria; vt vero ſequuntur craſſitudinem, & tenuitatem, ſunt conſequentia ſecundaria; ideo graue, & leue ſunt media inter accidentia, & conſequentia. Hæc de conſequentibus. *Conſequētia ſimul, & accidētia, quæ.*

Poſt conſequentia ſequuntur accidentia, quæ ſcilicet tantum ſequuntur formatricem, & non temperiem: de quibus videndum, quot ſint, quomodo referantur ad organum, & ad ſe ipſa, & quid ſint.

Quot ſint hæc accidentia; Capiuacceus enumerat quinque *conformationem, magnitudinem, ſitum, numerum, & proprietatem compoſitionis*: & quanquam Galenus 4. de vſu par. 14. coitionem, & communionem connumeret, vult tamen vnionem, & communionem referri ad ſitum. Huic numero adſtipulatur Gauaſſetius.

Accidētia ſunt nouē, & nō quinque, vt Capiuacceus, & Gauaſſtius.

Hic tamen numerus eſt valdè diminutus; vt enim ſuperius dictum eſt, inter ea, quæ ſimpliciter formatricem ſequuntur, debent etiam connumerari illa quattuor, *aſperitas, lenitas, denſitas, & raritas*; & ſic erunt nouem, & non quinque. Et quo ad *vnionem* ſat mirari non poſſum Clariſſimum Capiuacceum hic referētem vnionem ad ſitum, cum in fine ſuæ methodi totum oppoſitum dixerit, oſtendens, quomodo vnio differat *à poſitu*, & conſequenter à ſitu: ſed de hoc ſuo loco.

Poſt numerum, videre oportet, quomodo accidentia iam dicta referantur ad partes, & ad ſe ipſa; quod à Capiuacceo fuit omiſſum.

Accidētia, quomodo referantur ad ſe ipſa.

Referuntur quidem ad ſe ipſa; nam illa quattuor, *aſperitas, lenitas, denſitas, & raritas*, referuntur ad duo, ad *conformationem, & ſitum*: ad conformationem quidem *aſperitas, & lenitas* refertur ad *ſuperficiem, denſitas, & raritas* ad *meatus*: ad *ſitum* verò, quia ex Ariſtotele, *raritas, denſitas, aſperitas, lenitas* referuntur ad ſecundam ſpeciem quantitatis, hoc eſt ad quantum poſitionem habens: ſed præter hæc quattuor, adhuc *proprietas compoſitionis* refertur ad alia quattuor, conformationem ſcilicet, magnitudinem, numerum, & ſitum; hinc propria conformatio dicitur, propria magnitudo, proprius numerus, & proprius ſitus; accidentia igitur ſic inuicem ſe reſpiciunt.

Accidētia, quomodo dare

Sed & reſpiciunt partes, quibus inſunt, vnde hæc accidentia ſunt in triplici diſcrimine: alia enim ità ſunt *partis organicæ*, vt nō competant organo, alia ità competunt *organo*, vt non competant parti organicæ: alia vtrique competunt, & *organo*, & *parti organicæ*.

Quòd ſoli parti organicę competit eſt vnum ſolum, ſcilicet *magnitudo*, quæ eſt quantitas continua.

Quod verò ità competit organo, vt non competat ſimi-

ſimilaris organicæ eſt *numerus*.

Quæ tandem communia ſunt, & parti organicæ, & ipſi organo ſunt, *conformatio, ſitus, vnio & propria compoſitio*; hæc enim vtrique competere, non multa indigent declaratione.

Quid tandem ſint hæc accidentia breuiter declaro.

Conformatio eſt *qualitas*, vt eſt *figura, meatus, & cauitas*: eatenus autem eſt *quantitas*, vt eſt *ſuperficies*.

Magnitudo eſt *quantitas continua*.

Numerus eſt *quantitas diſcreta*.

Proprietas compoſitionis, quid ſit, eſt dubium, dico tamen breuiter, propriam compoſitionem differre ab vnione, ſi capiatur pro *determinato accidente*; non differre autem ab vnione, ſi capiatur pro totius membri *cohærentia*, vt rectè Gauaſſetius. Hucuſque igitur pro natura, quod eſt principium ſubiecti anatomici, enumerauimus; *ſubſtantiam*, quæ eſt *forma partialis*, id, quod eſt *de ratione ſubſtantiæ*, temperiem ſcilicet: *quæ conſequuntur: & quæ accidunt*. Sed ſi à Capiuacceo aliquis peteret, cur inter ea, quæ dicuntur natura, non repoſuerit etiam *calidum innatum*, cum rationem afferre non poſſet, ideo inter ea, quæ ſunt natura, vt de ratione ſubſtantiæ ſimilaris, reponemus etiam calidum innatum, nedum temperiem: quod calidum innatum tanti fecit Hipp. & Galenus 1. apho. 14. vt præter hoc, exiſtimauerint, animalium naturam nihil eſſe: quod dictũ, quomodo intelligendum, ſuo dicetur loco. Hæc de principio Anatomes.

Quid ſit cõpoſitionis proprietas.

Quomodo calidum innatum ſit natura à Capiuacceo omiſſũ.

Notio paſſionis.

POST principium ſequitur paſsio, ſumpta paſsione in communi ratione præcogniti, qua *motus* dici ſolet prima paſſio philoſophiæ: cum enim principium anatomicum ſit natura ſubiecti, & natura ſit principium motus, ideo examinandum, qualis ſit motus, qui per ſe primo cõpetat ſubiecto anatomes.

De motu igitur anatomico quinque ſunt videnda, quid ſit, quod nam ſit eius ſubiectum; quæ cauſſa efficiens, cuius inſtrumenta, & qualis finis; hæc enim omnia motus definitionem complent.

Motus rectius definitur per actionem, quã actio per motũ contra Capiuac.

Quid ſit motus; Capiuacceus, & Gauaſſetius cum Galeno 1. de lo. aff. 1. & 17. de v. p. 1. & 6. de Pla. 1. definiunt actionem per motum, ita vt *actio* ſtet loco definiti, *motus* autem loco generis, & formæ, vt actio omnino ſit motus: attamen, non negans, actionem eſſe motum, cenſeo, actionem, non per motum, ſed motum per actionem debere definiri: & ratio eſt in promptu, quãdoquidem in definitione nunquam pro definito ponẽdum eſt genus: ſed motus eſt in prædicamento actionis, non autem actio in genere motus; ideo, non actio per motum, ſed motus per actionem definiri debet. Ni pro ipſorum defenſione velimus dicere, motum ſe habere aliquo modo per modum generis, cum motus dicatur de actione, & de paſſione; vnde actio eſt quidem motus, ſed motus non eſt actio, cum poſſit eſſe paſſio, ideoque actionem poſſe definiri per motum, cum ſit motus ſpecies: res tamen non caret difficultate.

Quomodo motus eſſe poſſit actionis genus.

Et quoniam in definitione accidentis ſubiectum ſtat loco differentiæ; ideo videndum quodnam ſit humanæ actionis ſubiectum, vt per hanc differentiam ta-

ſis actio differat à quacunq; aliorum animalium actione. Capiuacceus, & Gauaſſetius cap. 12. volunt ſubiectum actionis eſſe *totum corpus humanum*, cuius actio *vna totalis* ſit motus artificioſus volũtarius; quod probant Gal. 1. de v. p. 8. Quæ opinio non recipitur, incompoſſibilis enim eſt hæc vna totalis actio communis; Et motus ille artificioſus, quem tanti fecerunt, cum ſit voluntarius, ideo muſculorum ope tantum perficitur, nec à toto corpore adæquatè pendere poteſt, quamobrem, incompoſſibili exiſtẽte vna totali actione, ſtatuamus, actionem hanc cenſendam eſſe indifferentem, tam ſimilarium, quàm diſſimilarium; ideo eius ſubiectum nõ eſſe *totum hominem effectiuum*, ſed cum Galeno lo. cit. *partes eius factiuas*.

Subiectũ actionis non eſt totum.

Stante ſubiecto motus, ſequitur eiuſdem cauſſa effectiua in hominis parte factiua exiſtens. Capiuacceus, & Gauaſſetius non aliam agnoſcunt cauſſam actionis effectiuam, *vt quo*, niſi *facultatem*, quod probare nitũtur rationib., & auctoritatibus; nos pro virili putamus, præter facultatem, dari aliam cauſſam effectiuam, vt quo, *formam ſcilicet partialem*; quoniam hæc, ſicut aliquas qualitates detinet in principio virtuali, ità aliquas poteſt detinere in principio actuali; ideo obſeruandus eſt modus dicẽdi Gal. 1. de loc. aff. 1. dicentis, actionem eſſe motum partis factiuæ, ſicut enim nõ dicit, eſſe motum facultatis determinatæ, ſed partis factiuæ, ità pro parte factiua, non ſolum intelligit, vt pars eſt factiua per facultatem, ſed etiam, vt eſt factiua per propriam formam partialem, cuius ratione pars verè dicitur factiua: agit verò forma partialis, vt quo, quatenus coagit ipſi facultati partialiter; nam etſi talis forma ſit facultatis inſtrumentaria, eſt tamen inſtrumentaria

Capouacea, & Gauaſſetij opinio de cauſa efficiente actionis. Propria.

taria in genere cauſſæ efficientis: qua ratione dicimus, formam partialem ſubſtantialem ipſius carnis coagere ipſi facultati carnificæ partialiter, & ab ipſa eleuatam producere immediatè propriam nutritionis actionem: & clarum eſt, hoc non eſſe agere, vt *quod* in genere cauſſæ materialis: duplex igitur eſt efficiens quo, facultas, & forma partialis.

Facultas non eſt tẽperamẽtũ.

Verum prætermiſſis differentijs actionis, & facultatis, quæ ſucceſſiuè in partium anatome declarabuntur, ſolum quid ſit facultas conſideremus. Aliqui ad mentem Galeni volunt, facultatem eſſe *temperamentum* eius auctoritate ducti in libello, quòd animi mores ſequantur corporis temperaturam cap. 3. 5. 6. 7. & 8. videtur enim ibi Galenus velle, animæ ſubſtantiam eſſe temperamentum: quæ tamẽ opinio, omiſſis rationibus, eſt etiam falſa ad mentem Galeni, qui potiſſimum ſe declarãs 3. de loc. aff. 7. habet hæc verba, anima aut eſt temperamentum, aut à temperamento alteratur, innuens his verbis, animam eſſe à temperamento diuerſam. Alij tandem ad mentem Galeni ſtatuunt, vt Rudius, non equidem temperamentum, ſed vtique *calidũ innatum*, eſſe facultatem, & animæ ſubſtantiam ductus, potiſſimum Hippoc. 7. de morbis vulgarib. tex. 5. ſcribentis hæc verba, hominis anima ſemper ad mortẽ producitur; ſin autem igneſcat, ſimul cum morbo, & anima corpus depaſcitur: at quod igneum fit eſt calidum innatũ, ergo eſt anima ipſa. Verũ calidum innatũ eſt quidem animæ primarium inſtrumentum, ſed non eſt ipſa animæ ſubſtantia; & pro eo quod igneſcit, non eſt intelligenda facultas, ſed eius inſtrumentum, quod eſt calidum innatum: quare nec temperamentum, nec calidum innatum eſt ipſa animæ facultas: ſed cum eſ-

Neq; cali dum innatũ in Rudium.

Eſſentia facultatis.

ſentia

ſentia animæ cōſiſtat in eo, quòd ſit actionis, humaniq; motus effectiua, facultas nil aliud erit, quàm *animæ potentia* à qua realiter non differt, quia nec eſſe inhæſiuū nec reale ſubſiſtēs habet. Hęc de cauſa motus efficiente.

Quæ cauſa efficiens in parte exiſtens, cum ex ſe immediatè non operetur, ſed per inſtrumenta, ideo videre oportet, quot, & quæ ſint hæc inſtrumenta, & qua ratione dicantur cauſſæ actionis inſtrumenta.

Quot ſint inſtrumenta, dico eſſe quattuor, calidum innatum, temperamentum, compoſitionē, & vnionem. *Quattuor inſtrumēta actionis.*

Calidum innatum formaliter eſt *corpus per ſe mobile*, quoniam etſi ſit efficientis actionis cauſſæ inſtrumētum, eſt tamen inſtrumentum in genere efficientis; & quatenus eſt corpus, eatenus differt à temperamento; & quatenus eſt per ſe mobile, eatenus pariter differt à temperamento: Per ſe autem eſt mobile calidum innatum, vel mobiliter, vel immobiliter: *immobiliter* eſt per ſe mobile calidum innatum, vt contradiſtinguitur à calido influente, nunquam enim deſerens partem, cui innaſcitur, continuò in ea mouetur duplici motu oppoſito, à centro ad circumferentiam, ratione caloris, & viciſſim à circumferentia ad centrum, ratione innatæ attemperantis frigiditatis, quæ calidi innati *temperies* dicitur, longè à temperamento diuerſa: *mobiliter* verò eſt per ſe mobile calidum innatum, vt contra diſtinguitur ab innato, ſiue ſit igneum influens à corde, ſiue aereum à cerebro; vtrunq; enim eſt dupliciter per ſe mobile mobiliter, & in parte, & extra partem, hæc eſt forma calidi innati. *Quid calidum innatum.* *Differt à temperamento.*

Calidi autem innati materia corporea eſt *vapor*, ad differētiam temperamenti, cuius materia eſt *qualitas*: vapor autem eſt duplex, *innatus*, & *influens*: innatus *Eius materia.*

vapor conſtituens calidum innatum ab influenti diſtinctum, eleuatur à ſemine, & à ſanguine menſtruo *euaporante*. ex Galeno contra Lycum cap. 7. vapor vero influens eſt aerèus, & ſanguineus; vt patet.

Cauſſa. Tàdem calidi innati efficiens cauſſa eſt *facultas generatrix, generantis, & geniti*, ratione vtriuſque caloris innati, & influentis. & hæc de calido innato aggregato: quod quomodo ſit organum facultatis agentis, patebit, poſtquam dixerimus quid ſit temperamentum.

Quid temperamentum. Quod temperamentum clarum eſt, eſſe conſtitutionem naturalé partis ſimilaris, quatenus mixta ex elementis, & qualitatibus elementaribus, & eſt de ratione ſubſtantiæ formæ partialis vniuſcuiuſque partis ſimilaris; quomodo patet ipſum, neque corpus, nec per ſe mobile, nec vaporoſum, vt eſt calidum innatum.

Opinio Capouacce, & Gauaſſetij de prĩcipali organo actionis. Vtrunq; vero in parte ſimilari ſubſtratum, quomodo efficientis actionis cauſſę ſit inſtrumentum, breuiter explanandum. Capiuacceus, & Gauaſſetius, diſtinguunt de inſtrumento principali *reſpectu conſeruationis, & reſpectu actionis*: reſpectu actionis, organũ principale facultatis eſt *temperamentum*: reſpectu autem conſeruationis, principale inſtrumentum eſt *calidum innatum*: & ſicut temperamentum eſt organum ſecundarium conſeruationis; ità calidum innatum eſt organum ſecundarium actionis: quod probant potiſſimum Galeni dicto 3. de ſympt. cauſ. 1. ſcilicet coctionem fieri à temperie ventriculi, coadiuuante eiuſdem calido innato.

Non recipitur. Verum hæc ſententia non recipitur; Primò, quia in infinitis ferè Galeni, & Hipp. locis habetur firmiter, calidum innatum eſſe *primum omnium actionum auctorem*; ergo in ratione actionis calidum innatum eſt organum

ganum principale; vnde ſat mirari non poſſum clariſſimum Gauaſsetium, qui neſciens reſpondere huic Galeni auctoritati, ait, Galenum tunc non diſtinguere calidum innatum à temperamento, quaſi quòd in Galeni ſententia, calidum innatum, & temperamẽtum ſint idem: prætereà implicat, quòd id, quod eſt per ſe mobile, ſit organum ſecundarium motus; & quod non eſt per ſe mobile ſit primum motus inſtrumentum: inſuper eſſe primarium organum conſeruationis, nil aliud eſt, niſi eſſe organum primarium actionis; conſeruatio enim nil aliud eſt, quam ipſa actio, & eatenus pars conſeruatur, quatenus agit, potiſſimum nutritionis actione, igitur ſi calidum innatum eſt primarium organum conſeruationis, erit & actionis, cum actio, & conſeruatio non ſint duo realiter diſtincta; Quamobrem, vt Galeni loco contrario reſpondeamus, & huius rei veritas, à nemine hucuſq; declarata, aperiatur, dicemus, calidũ innatum, & temperamentum, vtrunque, eſſe organum primarium actionis, facta collatione ad illas duas cauſſas actionis effectrices, & conſequenter vtrunque eſſe organum ſecundarium: calidum quidem innatum eſt organum primarium actionis, *reſpectu facultatis*; temperamentum verò *reſpectu formæ partialis*: cùm enim facultas, & forma partialis ipſius ſimilaris, ſint duæ cauſſæ actionis efficientes inuicem ſubordinatæ, vt dictum eſt, & vtraq; eãdem agat actionem per proprium inſtrumentum, partialis forma ſuo vtitur inſtrumento, nimirum temperamento, quod in ratione formæ mixtę partis, eſt illi magis intrinſecum, quàm calidum innatum; & in eſſe materiali eſt illi magis proportionatum: facultas verò, quia eſt efficiens nobilior forma partiali, & actiuior; idcirco calido innato, ceu nobiliori organo,

Conſeruatio, et actio an differãt realiter.

Quomodo temperamẽtum, & calidũ innatum ſint ambo principale organũ actionis.

no,

Quomodo ſint actionis organa ſecũdaria.

no, & magis actiuo vtitur ad agendũ; proptérea vtrunque poteſt dici organum primarium actionis, reſpectu diuerſarum actionis cauſſarum, ſicuti, & ſecundarium, temperamentum quidem reſpectu facultatis, calidum autem innatum reſpectu formę partialis: Quamobrem Galenus reſpiciens ad organum principale actionis reſpectu facultatis, calidum innatum appellauit primarium actionis omnis auctorem: reſpiciens verò ad inſtrumentum formæ partialis ipſius partis ſimilaris, principale actionis organum temperamentum vocauit; & quod ſit verum, patet, quoniam eo loci non dicit, coctionem fieri à facultate mediante temperamento, ſed fieri à temperie ventriculi, accipiens proinde formam partialem ventriculi pro talis actionis cauſſa, cuius primarium organum eſt temperamentum.

Quid compoſitio. q. d vnio. Quomodo actionis cauſſa.

Poſt temperamentum ſequitur compoſitio, quæ eſt organum *actionis propria:* & vnio, quæ ſimilaribus, & diſſimilaribus competit, non quidem *vniuocè, ſed analogicè*; cum alia ſit vnio, quæ competit diſſimilaribus; & alia ſit vnitas, quæ ſimilaribus: quare vnio eſt communis ratio proportionalis: & conſequenter eſt commune organum actionis, quatenus eſt *vna*, & non quatenus eſt actio.

An quattuor morborum genera.

Et cum ſint quattuor genera inſtrumẽtorum actionis, tria propria, & vnum commune, cur non erunt quattuor morborum genera, ita vt calidi innati naturali conſtitutioni proprium correſpondeat morbi genus, ſicut temperamento, à quo realiter diſtinguitur? Sed de hoc ſuo loco.

Finis actionis qualis.

Actionis tãdem finis eſt *voluptas*, cuius gratia actio celebratur, iuxta illud, quòd oculus non videt, vt videat, ſed vt aliquid boni conſequatur. Et hæc raptim, &

& compendioſè de ſubiecto, principio,& paſſione methodi anatomicæ in ordine ad futuram anatomen dicta ſufficiant, prolixius, & enucleatius in integra methodo diſputanda,& declaranda.

Vos interim, Viri ſapientiſſimi, meam excuſate, immo potius veſtris doctiſſimis argumentationibus roborate tenuitatem, voſq; humaniſſimi auditores, meis fauete ſalebroſis lucubrationib, anatomicis; in quibus, ſi non me ſapientem, ſaltem diligentem,& obſequentem habebitis.

LAVS DEO.

D. Maur. Berretta P pro Illuſtriſs. & Reu. Card. Arch.

Imprimatur

F. Hier. Onuphr. Conſul. S. Offic. pro Reuerendiſs. P. Inq.

MC